Jos. W. Hudson.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Phthisi pulmonali, a catarrho orta,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HENRYSONE, SCOTUS.

Ad diem 29 Maii, hora locoque solitis.

EDINBURGI,
Apud T. et W. RUDDIMANNOS, M.DCC.LI.

BRITISH MUSEUM

43.
10. 10.
282.

ILLUSTRI VIRO

JACOBO *Comiti* KEITH,

GULIELMI Comitis Mareſcalli SCOTIAE hereditarii
Filio natu ſecundo:
Exercituum PRUSSIAE Mariſcallo Caſtrenſi,
Berolini Gubernatori,
Ordinum S. ANDREAE et AQUILAE NIGRAE Equiti,
Academiaeque Petropolitanae ſocio;
Natalibus et avita majorum gloria nobili,
At virtutibus ſuis ingenitis nobiliori:
Cujus dignitatem immanes fuſi hoſtes ac grandia
Belli decora,
Haud magis celebrant ornantque,
Quam firmus, rectique aequique tenax, animus,
Atque erga PATRIAM,
Utcunque de ſe meritam, vel merentem,
Amor conſtans ac benevolentia perpetua,
Laudes ejus debitas
Per ora omnium, quos quidem cives dicere fas ſit,
Amplificant augentque,
Poſteriſque ſuſpiciendas relinquent:
Tentamen hocce medicum,

Obſequii & venerationis ſuae qualecumque ſymbolum,

D. D. C Q.

JOANNES HENRYSONE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Phthiſi pulmonali, a catarrho orta.

PROOEMIUM.

QUUM nulli alii malo adeo obnoxii obſerventur Britanniae incolae, ac phthiſi pulmonali, morbiſque omnibus illam vel comitantibus, vel praegreſſis, fert animus pauca de hocce morbo tradere. Nec mei eſt ingenii, nec propoſitae brevitatis, hanc pulmonum tabem quatenus ex omnibus, (ab optimis et clariſſimis autoribus numerantur) cauſis praediſponentibus oriundam inveſtigare: ex plurimis unam tantummodo, maximē quidem frequentem, his in locis, propter aëris ſempiternas et ſubitaneas viciſſitudines, ſcilicet Catarrhum, eligam.—— Hunc morbum, et phthiſin ex illo ſaepiſſime naſcentem, ut et medelam utriuſque mali, pro virili parte, et pauciſſimis quantum poſſum verbis, explicare conabor.

Καταῤῥόη a Καταῤῥέω defluo, Latinis distillatio humoris de capite interdum in nares, interdum in fauces, interdum etiam in pulmones [a]; notat apud antiquos medicos omnem defluxionem humoris cujuscunque ex capite in inferiores partes [b]; alias tantummodo descensum humoris pituitosi frigidi, vel calidi, ex capite in os et asperam arteriam [c]: catarrhi fontem cerebrum, materiam pituitam, cerebri purgamentum, vel etiam ejus liquefactam substantiam; decursum per ossis cribriformis foramina in nares et os, per alias vias, in alias partes corporis statuebant [d]: pituita dicebatur humor frigidus et lentus, corpori naturalis, et unum ex quatuor elementis, humores sanos constituentibus [e]; haec exuberans sanguinem refrigerat, et morbos facit senibus, pueris, et mulieribus valde familiares [f]; calore vero agitata, attenuata, vel acris facta distillat; maxime infesta est iis, quorum natura vergit ἐπὶ τὸ φθινώδες, quales sunt στερυγώδεες [g]; quibus ex levissima causa diffluit φλέγμα ἁλυκὸν καὶ δια-

a Celsus *de medicina.*
b Hippoc. *liber de aëre.*
c *Idem liber de carne.* Galen *de symptom. caus. lib.* iii.
d Hippocr. *liber de glandulis. Liber de morbo sacro.* Galen *lib.* vii. *method. meden. Idem liber de instrum. odorat.*
e Gal. *liber* ii. *de elem. Idem. lib.* ii. *de natur. facult.* Hipp. *de morbo sacro.*
f *Ibid.*
g Hipp. *epid. lib.* vi. *Sect.* iii. Gal. *comment ad eundem locum.*

διαβρουικὸν [h]; cujus progressum sic describit Hippocrates [i]. " Si pituita ex capite ad pulmonem
" distillet, primum quidem ut plurimum latenter
" diffluit, tussimque tenuem exhibet, et sputum
" paulo amarius solito; et aliquando adest calor
" tenuis. Temporis autem progressu exasperatur
" pulmo, et intus ulceratur a pituita inhaerente,
" et putrescente, gravitatem exhibet pectori, do-
" lorem auctum ante et retro, caloresque acuties
" in corpus inducit. Corpus incalescit, omnis pi-
" tuita in pulmonibus accumulatur, tandem pituita
" putrescens exspuitur, postea sincerum pus; fe-
" bris acuta, tussis crebra, et vehemens inedia
" vexat, tandem alvus inferne turbatur a pituita."

Haec sunt praecipua quae tradidere veteres Medici de catarrho, quatenus ad rem nostram spectat. Experientia confirmat quae scripsere de ejus jam nati effectibus, quos ex accurata observatione eorum, quae in morbos contingunt, didicerunt, non ex praejudicata opinione finxerant; sed experientia hodierna evincit, quantum erraverant illi in assignanda origine et tramite distillantis pituitae. Recentior demonstravit anatome istum humorem pituitosum, qui naturaliter narium cavitates, palatum et fauces oblinit, qua inungitur, et contra injurias

[h] Hipp. *de affect. intern.* Galen. *Commen. in lib.* vi. *epid.* Hipp.
[i] *Idem, liber* 1. *de morbis.*

injurias aëris tuentur totius asperae arteriae propagines; qui tussi abraditur & rejicitur, et qui in morbis quibusdam copiosior et tenuior distillat; non uti illi voluerunt intra cranium secerni, vel colligi, nec per ossis cribriformis foramina exire [k].

PER catarrhum vero medici hodierni intelligunt frequentem et copiosam distillationem ex arteriarum osculis, vel folliculis glandularum, per amplam Schneideri membranam internamque laryngis et bronchiorum tunicam consitis. Muco hic ut suo blando lentore multos egregios usus praestat hisce viis, per quas aër, cibus, potusque praeterlabi debent; sic ejus vitia graves faciunt morbos, variis nominibus insignitos, pro varietate partium, quas obsidet vitiatus ille humor; juxta versiculos scholae Salernitanae tristissimos:

Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus;
Ad fauces branchus, ad nares esto coryza.

QUANDO, ut supra dixit Riverius, pulmones afficiuntur, catarrhi nomine venit [l]; cujus duae sunt species: una est cum pituitae lentae, blandae et

[k] Rolfinicus *desert. anatom. lib.* ii. *cap.* 20. Lowerus; Bonneti *sepulch. anatom. cap. de catarrho.*
[l] Riverii *opera medica, cap. de catarrho.*

et inſipidae rejectione; alia cum lymphae tenuis acris et calidae deluvie. Haec diſtinctio ab omnibus antiquis Medicis etiam facta fuit.

Hujus diſtillationis cauſa eſt, 1mo, omne id quod ſanguinem nimia pituitae copia gravat.

2do, Quae eandem ad membranam pituitariam determinat; unde cauſas valde multiplices eſſe apparet. Harum proëgumenae ſunt; corporis nativa diatheſis, laxa et debilis tum viſcerum, tum vaſorum, compages, praecipue pulmonalium; in corpore abundans pituita lenta, mucoſa, frigida, iners; functiones naturales debiles; vel humores minus compacti acres, ſoluti.

Priorem adeſſe demonſtant, color pallidus vel plumbeus faciei, ſenſus hebetudinis, capitis gravitas, nauſea, laſſitudo, frigiditas, humores lenti mucoſi: poſteriorem corporis gracilitas, praematura proceritas, caro muſculoſa flaccida, cutis candida, pellucida, ſaepe pruriens; ſalivae tenuis, acris, ſalſaeve frequens exſpuitio.

Causas procatarcticas conſtituunt omnia, quae poros cutis obſtruunt, et perſpirationem Sanctorianam cohibent; qualia ſunt omnes tempeſtatum magnae ſubitaeque mutationes ex aëre calido in frigidum,

frigidum, ex sicco in humidum, ex levi et aprico in densum et fumis noxiis gravem; hujuscemodi praeprimis sunt, Boreae et Euri; afflatus inclementiores, nix, gelu, regelatio subita, obambulatio in vestibus madidis, intempestiva vestium depositio, et ejusmodi bene multa; ciborum et potuum nimia vel intempestiva ingurgitatio, aut minus aptus delectus, animi affectus graviores, quo referuntur studia nocturna acriter investigata, vigiliae diu protractae.

Quando glutinosum phlegma pulmones obstruat, sese manifestans per signa jam memorata, respiratio fit laborioſa, crebra; tussis frequens, profunda, fatigans, crassum, viscidum, subdulcem rejiciens, post somnum pertinacior, cum sputo compacto, denso, grandinis instar convoluto, subflavo vel caeruleo: postea augebuntur omnes secretiones viscidiores, et inter caeteras illa quae fit per glandulas trachiae, arteriae et bronchiorum: hinc iners phlegma in bronchiis accumulatum, et sensum infarctionis faciens, excitata tussi, cum quadam molestia, sed sine magno malo: si vero propter nimiam tenacitatem ac viscositatem, vel propter vasorum oscula constricta, liquidissima tantum pars transudet, crassissima retenta et accumulata, vas obstructum expandit, fistulas bronchiales angustat, vasa vicina comprimit; hinc, pro ingenio materiae aggestae, fiunt

fiunt concretiones gypsae vel calculosae, varia tubercula schirrosa vel callosa; denique materies calore forti resolvi potest in ichorem vel saniem: interim si pulmones motu nimis violento agitentur, margines tumoris inflammantur, suppurantur, atque hinc abscessus capit initium et incrementum; ex quo cum pure varia materies, nonnunquam parvi tuberculi, disruptis omnibus vinculis, rejiciuntur. Dum haec fiunt in pulmone, respiratio difficilis, anhelosa, crebra, sterterosa est, tussis urget, dolor, calorque in pectore sentiuntur.

Acer catarrhus incipit plerumque cum torpore totius corporis, lassitudine, sensuum hebetudine, capitis dolore gravidivo, somnolentia post somnum, oculi lachrymis suffusi, et rubicundi vultus; cutis sicca, pedes frigidi, urina saepe auctior, alvus humidior, sequuntur, ad fauces titillatio continua, tussis acris, sputum copiosum, tenue, narium pruritus, lymphae stillicidium, sternutatio frequens.

Quando talis lympha tenuis scilicet in pulmones depluit, licet acredine quadam imbuta, non in initio, uti opinor, adeo laedit bronchia rodendo aut exulcerando, quam mucum abluendo, qui internam bronchiorum tunicam maxime quidem irritabilem, ab injuriis quibuscunque defendit: muco excusso, nudas membranas acris humor titillat, stimulat, et

tussim

tussim excitat: hinc tandem distillatio talis lymphae in habitu phthisiformi imminentem phthisin denunciat, et aliae causae accedentes eam multum promovent; tenuitas enim et acrimonia stillantis liquidi indicia sunt, reliquam massam humorum tali serosa, tenui et acri colluvie scatere; pulmones adeo teneros et debiles, ut sanguinem compingere et elaborare non valeant; tussis interim repetitis concussionibus pulmones lacessit, vasorum et fluidorum attritum auget, atque hinc tantum periculum dilacerationis vasorum imminet, licet paucus forte humor tussi rejiciatur.

In maximo metu sunt phthiseôs a tali causa, qui tabida stirpe sati sunt, quibus natura finxit pectus angustum, planum, depressum; scapulas alarum more promulas, collum longum et teres; cutim candidam, pellucidam, genas roseas, qui a leviſſima occasione gravedinem, tussim et odontalgias experiuntur; hi omnes teneros pulmones gerunt; et humores alunt dissolutos; nimio sero abundantes; blanda plastica tenacitate orbatos; acrimonia quadam tinctos; vasa minima, tenerrima destruere potius, quam reficere, aptos.——Talis diathesis sanguinis per haec signa manifestatur, scilicet per calorem, pruritum, titillationem ad superficiem corporis; per pustulas, herpetes, achores in cute, per saporem amarum, salsum, foetidum in ore; spu-

ſpuitionem frequentem talis lymphae; per ſitim, tuſſim, ſternutationes, urinas tenues, foeces alvinas humidas, minime figuratas.

MIRANDUM eſt quod talis hereditaria labes ſignis ſupra memoratis cognoſcenda, quae in quibuſdam familiis, tanquam morbus hereditarius, graſſatur, adeo ut omnes fere ab earum ſtirpe oriundi, cum decimum octavum, vel vigeſimum quintum, aetatis annum attigerint, minime manifeſta, vel ſaltem perexigua cauſa antegreſſa, incidant primo in languorem, doloris in pectore ſenſum, tuſſim, haemoptoen vel catarrhum, et denique phthiſin. Hiſce hominibus talis diſpoſitio vaſculis ineſſe videtur, quae neceſſario phthiſin producat, proinde ac in corpore ſano ſuam acmen conſecuto ſemen conficitur. Ex morbis alii, etiam nonnulli hereditarii ſunt; unde ex rerum ſenſu Hippocrates, " Ἐκ τοῦ " φλεγματώδεος, &c. Ex pituitoſo pituitoſus, et ex " bilioſo bilioſus oritur, et ex tabido tabidus, et " ex lienoſo lienoſus [a]. Cum nempe, ait ille, geni- " tura ab omnibus corporis partibus procedat, a " ſanis ſana, et a morboſis morboſa [b].

HAEC cacochymia hominibus φθινώδεσι fere nativa

 eſt,

[a] Hipp. *de morbo ſacro.*
[b] *Idem, ibidem.*

est, sed ex rerum nonnaturalium abusu augetur; hinc Nicolaus Piso [c], " Phthisis longum est malum, " et certam aegrotis perniciem adfert, eique oppor- " tuna est aetas, quae a decimo octavo ad trigesi- " mum quintum annum intercedit: ob intemper- " antiam, seu intemperatum victum magis, quam " ob aetatis imbecillitatem. Corpora citius affici- " untur gracilia, pressi pectoris, colli longioris, ma- " gisque si scapulae macrae promineant, si intortae " tibiae sint, si frequentes distillationes, &c." Ex ipso pulmonum vitio propagatur: pulmo enim est praecipuum in corpore organum ad assimulandum succum, crudum, recentem, humoribus coctis sa- nisque, et ad corrigendum acre in corpore natum vel inductum; si itaque nimis debilis sit, et huic operi impar, tota massa humorum inficietur variis vitiis, pro ratione temperiei, vitae, victusque aegri.

In corpore sic, ut modo dixi, quoad solidorum et fluidorum dispositionem, ubi pauciſſima mala re- currunt, et omnia quam leniſſime procedunt, perpe- tuus labor actuosae vitae solutionem vasorum pul- monalium efficere valet; continuus enim attritus particularum acutarum et rigidarum ad vasa tenera et debili nisu cohaerentia, haec indies magis ma- gisque labefactabit, tandemque omnino deteret. Cum

c Nicolaus Piso *de phthisi.*

Cum vero vitium in seroso latice haereat, qui per vasa angustiora, teneriora, et forte rubro sanguine non pervia, feratur, major erit effectus talis liquidi in haec vasa; particula enim angulosa, et acutis spiculis armata, pertransire non potest, quin lateri vasis impingat, et impacta haereat; hinc stimulando et liquido a tergo urgenti resistendo, impetum in illud punctum augebit, sicque sensim fibras minimas solvet. Tum leniſſimo gradu obrepit phthisis cum levi tussi, parca materiae rejectione, respiratione anhelosa, calore non valde incommodo, febre fere nulla, saltem in initio morbi: postea vero, pluribus et majoribus vasis indies ruptis, inflammatis, suppuratis, symptomata paulatim ingravescunt, respiratio fit difficilior, tussis magis urget, pondus in pectore sentitur, calor et febris, praecipue vesperi, accedunt; languor et marcor omnia membra occupant; atque in hunc modum aeger diu morbum trahit, fere sine suspicione ulceris in pulmone; donec tandem, accedente forte quadam vi, copiosa materiae purulentae et ichorosae rejectio ostendit vomicam in pectore nutrimentum partium consumsisse, vel, progrediente malo, totus pulmo in pus conversus aegrum suffocat: vel, uti ait Hippocrates [a], "Pulmo calore trahit ad se pituitam "ex toto corpore."

Haec

[a] Hipp. *de morbis.*

Haec erat idea vel theoria patris et principis medicinae, omniumque ejus discipulorum, ad usque haec fere tempora. Recentiores autem, meliorem nacti theoriam, experimentis et observationibus accuratis innixam, multo felicius causas ut et decursum hujus morbi depinxere.

Pus autem recens et laudabile, et liquor albus, pinguis, saporis subsuaveſcentis, odoris fere expers, quando primum conficitur, tenuis est, et lympham quodammodo refert: at postea, quum in abscessus aut etiam ulceris cavo aliquamdiu stagnaverit, ex resorptis aut difflatis partibus ejus tenuioribus, crassius spissiusque evadit. Pus denique recens bonumque est balsamum blandissimum, et vasa rupta benignissime fovet, uti bene norunt chyrurgi; diuturna vero quiete in loco calido, longe diversas dotes acquirit, praecipue quando aëri exponitur; nam ex tepore et quiete solutum crasin rarescit, sales nativi neutri, blandi, semivolatiles, ex oleosorum amplexibus sese subripiunt, exacuuntur, attenuantur; ex neutris alcalici, ex semifixis volatiles, deveniunt; dum interim oleum foetidum rancidumque redditur; uti ex chemicis patet. Eundem omnino processum patitur pus in cavo aliquo corporis diutius fotum, eademque ratione blanditia sua spoliatum, per omnes putredinis gradus ad summum usque virulentiae procedit; citius autem sic

cor-

corrumpitur ob aëris admissionem in pulmonem. Quum itaque acre, tenue atque putridum fit, oscu-lis venarum sanguiferarum, aut lymphaticarum, e-rosis vel ruptis, sese insinuans, ad cor defertur, ni-si per pulmonum bronchialia exitum sibi comparans, sub sputi forma tussi rejiciatur.—Verum, quod do-lendum est, optabilis haec puris expulsio haud adeo integre accidit, (vel si id possimus hac via expelle-re, licet etiam sperare morbi perfectam resolutio-nem; sed dira experientia patet, hoc raro tantum contingere, ullo artis molimine) saepius enim ex debilitate naturae, vi contractili pulmonum defici-ente, vel ex insigni puris copia, crassitie, subducta jam parte tenuiore penitus ex pectore, per excre-tionem et tussim exprimi nequit; pars autem non expulsa inter cellularem pulmonum fabricam dif-funditur, quasi in latebras, ubi novas inflammatio-nes, et symptomata hectica, parit, per resorptio-nem et rejectionem in sanguinis massam. Quum hoc autem jam acciderit, saepius sane per corpus circumactum, modo satis insigni copia, totum ani-male systema turbat, symptomataque producit eo caeteris paribus, severiora, quo copiosius est et a-crius: quorum frequentiora et praecipua haec sunt; horrores scil. vagi; huc illuc per membra serpunt, saepiusque de die recurrunt; lenta febre corripitur aeger, cum pulsu exili, frequenti, debili: calor interdiu tenuis, et parum molestus, nisi ad

vo-

volas manuum & plantas pedum; noctu vero vehementior; potum assidue efflagitat; cibis assumptis corpus gravius sentitur; hora una vel altera post pastum, quo tempore chylus crudis nimia copia sanguine commiscetur, febricula hectica, atque calor invalescit; et, paroxysmo jam ad acmen suam properante, omnia haec symptomata circa vesperam exacerbantur.

VIDIMUS nempe, quod prius blandum erat pus atque balsamicum, jam autem acre, putridum, et alcalinum factum: hisce itaque proprietatibus imbutum, circuloque commissum, crassioribus suis partibus vasa minora obstipat, acribus pungit, stimulat. Ex hac origine febriculosi hi insultus nascuntur. Fomes interim hicce putridus sanguinem solvit summopere, fundit, putrefacit; novimus enim, nihil sanguinis in pelvim recepti coagulationem aeque impedire, ac salis cujuscunque alcalini permistionem. Sanguis vero solutus semper acer est, et utcunque putridus, vel saltem in putredinem pronus. Ipsa febricula attenuatur plus, solvitur, et in acrimoniam evehitur sanguis. Pus tandem per diei decursum resorptum, alioque humores a purulento fomite, et febricula attenuatos, atque corpori noxios factos, natura facillime nacta occasionem, postquam scil. aegri corpus in lecto calido aliquamdiu compositum fuerit, et quasi in balneo

balneo vaporis fotum, per ſudores profuſiſſimos colliquativos, febre inſtante, expellit; defoecatur ſanguis, et aeger melius ſe habet, donec ex novo pure reſorpto, admiſto, febriles paroxyſmi recurrunt. Neque longa requie fruitur aegrotus, humores enim in abſceſſus cavum, propter nimiam ibi reſiſtentiam, ex arteriarum hiantium oſculis jugiter ſtillant; corporis autem vaſis ex humorum per ſudores, &c. jactura depletis, venae abſorbentes admodum eſuriunt, atque pus putridum acriter exhauriunt; dum interim augetur humorum prava diatheſis, pus majori copia conficitur, citiuſque putreſcit, plus movetur, et promptius reſorbetur: adeo ut febriles hi conflictus, ex minima partis ubertate, ſaeviſſimos quandoque febris intermittentis paroxyſmos aemulentur: horrores enim leves patiuntur ſaepius; et quandoque ſaepius de die impetus ſuos reiterant, immanibus cum ſudoribus defervendo, ut plurimum, ſaltem nulla dies a paroxyſmo immunis labitur.

Interim aegri robur indies per repetitos paroxyſmos deteritur; novae obſtructiones, inflammationes, abſceſſus, ulcera et caetera per pulmonum partes glanduloſas propagantur. Morbo jam provectiore, humores haud raro per inteſtina ſtratam ſibi viam inveniunt, praeſertim ſi ſudores aliquo

modo

modo sistantur [a]: hinc effrenata fere diarrhoea ex muco oblinente detersо, intestinisque summopere debilitatis; in quae summo impetu acris admodum et purulentus sanguis irruit; in dysenteriam aut lyenteriam saepe degenerans.

Humores tandem diuturni morbi injuriis, in aquosum laticem prorsus soluti, vasa majora deserunt, et in minoribus accumulantur: hinc, praesertim si sudores, simul atque diarrhoea inhibeantur, circa partes extremas, tumores leucophlegmatici nascuntur.

Humoribus sic quotidie fusis, acribus factis, expulsis, et febricula indies ferocius urgente; nil mirum, si miraſmus superveniat, si demum corpus exsuccum, aridum, extenuatum fiat. Et si paulatim proserpat morbus, usque demum suprema dies aegrum vitae solvit.

Nihilominus quando hoc conclamatur, stadium adest; nunc genae rutilae splendent, nunc squalidae pallent; marcidum caput continua atrophia absumit; omnes functiones languent; adest summa debilitas; corpus aridum contractumque fit; oculi subsidunt, & quasi intra cava sua sese recondunt;

[a] Morton *Phisiolog.*

condunt; tum reliqua faciei Hippocraticae insignia moesta squalent; capilli decidunt; ungues concurvantur, et evanidi fiunt coloris, in quibusdam livescunt; pedes inflantur anasarca, quae vespere maxime apparet, mane autem evanescit. Causa hujus phaenomeni talis est; summe debilitatus aeger tempore diurno, vel stat, vel ambulat, vel sedet pedibus ad truncum corporis perpendicularibus, impeditur sanguinis regressus per venam Saphenam, caeterasque crurales. Sat bene novimus hydropem etiam in sano corpore, ex impedito per venas regressu sanguinis, oriri posse: e. g. Feminae gravidae, quibus plerumque ex compressione venarum iliacarum, crura, pedesque summe hydropici deveniunt; dum autem in lecto per noctem decumbit aeger, evanescunt hi tumores; quia tunc temporis horizontaliter ponitur corpus, et propter calorem loci, circulationem magis aequabilem promoventem. Deglutitio saepe in mortis vicinio, ex muci defectu, laeditur; & hoc modo omnia indies in pejus ruunt, donec tandem sudor frigidus guttatim caput, et collum irrorans, et totius deinde corporis frigus, cordis vires deficere, et mortem in limine adesse, proclamant.

At reliqua symptomata singillatim tractare vetant angusti hujusmodi dissertationis limites, neque opus est, ut hisce diutius immorer: omnia nam-

que, aut ex pure in hoc vel illud emunctorium translato; aut ex febre hectica corpus deterente; aut ex sanguinis tenuitate, ejusdemve acrimonia; sive ex humorum defectu, vasorumve exinanitorum collapsu; seu denique ex cordis viribus deficientibus, facile deducuntur.

Dissectio cadaverum ex phthisi tabidorum ostendit, nunc unam satis amplam, et singularem vomicam hoc vel illud latus, vel lobum occupare; nunc vero cernere erit totam pulmonis substantiam exesam, et exulceratam innumeris parvulis ulcusculis, vel suppurationibus, vel tuberculis scirrhosis [a].

Quoad prognosin medici omnes ingenui agnoscere coguntur, phthisin pulmonalem praeveniri quidem posse, natam vero raro perfecte sanari; vomica inde cito, prompte et sine magno labore rupta, penitus evacuata, pus fundens in bronchia flavescens, coctum, aequale, leve, inodorum, insipidum, pauco sanguine permistum; febrem, dolorem et gravitatem pectoris tollens; respirationem liberam reddens, si non perfectam, saltem palliativam admittere potest curationem, vel etiam efficit; cum omnia haec doceant materiem sua

[a] Bonet. *sepulchr. anat. de tabe pulmonari.*

ſua natura ſatis benignam, humores reliquos haud infectos, nec vaſa multum laeſa.

Sputa vero poſt vomicam ruptam, ſpumantia, ſubdulcia, flava, viſcida, cineritia, aeruginoſa, foetida, craſſa, non ſine moleſta tuſſi excludenda, omnia contraria notant. In genere, omnis phthiſis ex abſceſſu, vel ulcere interno, curatu difficilis eſt: quo partem ad vitam ſanitatemve, magis neceſſariam occupaverint haec, et quo majora aut frequentiora ſint, eo, caeteris paribus, morbus atrocior atque minus expugnabilis. In pulmonibus vero, ubi vis et actio eſt tanti momenti ad conſervandum fluorem, benignitatem, calorem, et aequabilem omnium humorum miſcelam; ad inducendam illam formam nutriendo aptiſſimam, et ad exercendas actiones plurimas alias, ex horum ſanitate omnino pendet; his laeſis, ſi habitus totius corporis mutetur, non mirandum.

Phthisis hereditaria omnium peſſima, nec ſananda, niſi cum praecautione haemoptoës [a].

Diarrhoea, capillorum diffluvium, tumor pedum, ſputi ſuppreſſioni ſupervenientia, lethalia.

A

[a] Boerhaav. *aphor. Sect.* 1207.

A tabe detenta alvi profluvium superveniens, lethale [b].

Omnia autem, quae ad prognosin fausti, vel infausti eventus pertinent, dum pulmonis abscessus sputo purulento solvitur, accuratissime collegit Hippocrates [c], et descripsit sequentibus: " Superstites " evadunt ex his potissimum, quos febris eodem post " ruptionem die demiserit, et qui cibos celeriter ap- " petant, et siti liberati sint; et venter tum exigua, " tum compacta dejiciat, et pus album, et leve, et " ubique ejusdem coloris sit, et a pituita liberum, " et citra dolorem et vehementem tussim expurge- " tur. Sic quidem optime et celerrime libe- " rantur: Sin minus, hi quibus proxima his con- " tigerint. Intereunt vero, quos et febris eodem " die non demiserit, sed quum videtur demisisse, " iterum recalescens appareat; et sitim quidem ha- " buerint, cibos vero non appetiverint, & alvus li- " quida fuerit, pusque ex viridi pallidum & livi- " dum exspuerint (in aqua marina fundum pe- " tens [d]) aut pituitosum et spumosum. Si haec o- " mnia contigerint, intereunt; quidam etiam ex " longo temporis intervallo supersunt [e].

In

[b] Hipp. *aphor* 14. *Sect.* 5.
[c] *Idem in prognosticis.*
[d] Hipp. *Coac. praenot.*
[e] *Idem, liber de progn.*

In hoc morbo unam spem tamen addit medicis et aegris, quod periculosissimae species e longinquo se ostendant, et in initio lento gradu procedant, praecipue illa, de qua hic sermo est; cui si tempestiva adhibeatur cura, felix eventus votis respondet.

Tria itaque hic peragenda sibi proponunt medici, scil.

1mo, Sanguinis diathesis corrigenda.

2do, Omne augmentum copiae, acrimoniae et motus humorum praecavendum.

3tio, Pulmones roborandi.

Quoad primam indicationem, si a pituita crassa et inerte morbum initium duxerit; haec solvenda et attenuanda, per medicamenta incidentia, detergentia, saponacea, admistis pectoralibus: tales sunt lac ammoniacum cum spiritu Mindereri; gummi myrrhae, galbani, Benzoini; balsamum Tolutanum, Peruvianum, opobalsamum, in forma pilularum; pilulae Scylletici, pectorales; acetum Scylleticum, &c. Posteaquam soluta fuit materies morbi, tum educenda est per emetica, purgantia, expectorantia, epispastica inter scapulas applicata.

Si

Si lympha acris confertim fluat ad pulmones, et tussim violentam fecerit, si pulsus frequens exitium pulmonibus minetur, primus impetus avertitur sanguinem statim mittendo; tunc, ad fluxionem avertendam, alicujus momenti erit alvum leniter subducere, sed leniſſimis catharticis, scil. cassia, manna, rhabarbaro, sale glauberi, decocto tamarindorum cum senna in magna copia aquae cocta, pone ad libram unam aut alteram; sudores elicere per frictiones, per decoctum radicum sarsae, guajacive cum spiritu mindereri; urinae secretionem promovere per fotus ad renes, injiciendo aquam tepidam, per diuretica leniora, qui lympham huc determinent; et post sanguinis missionem epispastica fortasse prodesse possunt. Sed nisi tussis hisce remediis cedat, compesci debet demulcentibus, diacodiatis, scil. decocto capitum papaveris albi, per pilulas Matthaei, quarum sumat unam aut alteram quoties tussis urget.

Sanguis per has evacuationes, a sero tenui et acri aliquantulum liberatus, ulterius lenitur, et incrassatur per talem formulam:

R. Pulveris diatragacanthi compositi, dr. 3. Sperm. ceti cum vitello ovi subacti, semun. Balsami Peruviani, dr. 2. Syrupi balsamici quantitatem sufficientem, m. f. linctus, cujus capiat, q. n. m. ter quaterve in die, superbi-

bibendo un. 4. decocti pectoralis. *Pharm. Edin.*

Secundo ſcopo ſatisfit, ſi pro natura et occaſione aegri mittatur ſanguis, et ſolvatur alvus; et ſi obſervetur ſequens indicatio, ſcil. roboratio pulmonum; plus hic proficitur per accuratum rerum nonnaturalium moderamen, quam per ingentem medicamentorum catalogum, nam ſine his vanae, fluxae, futiles, et caducae ſunt praeſcriptiones optimorum medicorum. Diaeta lactea maxime convenit; vel ex oleribus et cerealibus coctis, cum jure carnium; ipſae etiam carnes animalium juniorum comedendae ſunt: pro potu ſufficiunt, ſerum lactis, vel cui incoxerint folia lactucae, tarraxaci, vel altheae, &c. motus et exercitium corporis mire pulmones firmant; hinc clariſſimus Van Swieten [a], "In morbis curandis plus per hanc methodum per-"ficitur, quam per omnia alia; ſed ſenſim hic "progrediendum, nec ſtatim validiſſimis utendum "exercitationibus, ne ſtagnantia multa in diſten-"tis nimis vaſis, nimia copia cor verſus preſſa, il-"lud obruant, et ſuffocent, vel tenera nimis ad-"huc vaſa aucto imprudenter motu frangantur." Primo igitur leviora, poſtea magis concitata, uti frictiones, vectiones in rheda, navi; equitationes, ambulationes, &c. In his iterum a leniſſimis inci-

[a] Gerardi van Swieten *comm. in* Boerh. *aph. cap. de morbis fibrae debilis & laxae.*

incipiendum, sensim augendo in cursum usque.

FRIGUS sedulo vitandum est; nam ait Hippocrates, " Frigida, velut nix et glacies, pectori sunt ini-" mica, tussim movent, &c. [a].

CORPUS rite tegendum, aër plerumque eligendus hisce aegris calidior, siccior, tenuior, non nimis ventis agitatus, nec fumis gravis; suffitus exsiccans balsamicus, praesertim in catarrho acri, in quo etiam infligi debent fonticuli.

HAEC remedia rite, tempestive, adhibita pulmonis rupturam et inflammationem fortasse praecavebunt; si vero ex horum neglectu, vel minus apta administratione, signa mox memoranda docuerint pus jam colligi in pulmonibus; scil. primum fere signum inceptae suppurationis internae est horripulatio vaga, mox desinens, repetita saepius, nullo certo ordine, ac nulla manifesta causa; frigore, v. g. admisso [b], observationes practicas docuisse, hoc symptoma semper adesse in hoc casu; et signum est suppurationis internae pathagnomonicon. Unde monuit Hippocrates [c], " Horrore affecti frequenter ad suppura-" tionem deveniunt." Et alibi, " Ubi horror in " malis subinde incidit, cum difficultate spirandi, " tabes denunciatur [d]."

OMNEM

[a] Hipp. *aph.* 24. *Sect.* 5.
[b] Van Swieten *de peripneu. ver.*
[c] Hipp. *Coac. praenot.*
[d] *Idem ibidem.*

OMNEM vero pulmonis in vomicam feceſſum comitatur inſuper varia ſymptomatum ſyndrome: qualia ſunt, ſecundum celeberrimum Boerhaavium, doloris remiſſio, dyſpnoea manente; labia et genae rubentes; ſitis adeſt, febricula vexat, inprimis veſpertina; pulſus mollis, undoſuſque.

QUANDO ſigna jamjam enumerata docuerint ſuppuratum pulmonem eſſe, nullaque per ſputa hactenus fiat evacuatio, novimus, pus collectum in magno ſatis ſacco in ipſis pulmonis ſubſtantia haerere: tum maxime agendum eſt, ut bene coctum et maturatum habeat exitum in bronchia; ergo laxanda eſt haec via per emollientes vapores; et diſruptio tentanda eſt, ſi, poſt multa alimenta mollia, excutiendi pulmones, per motum carpenti, vel equi, vel etiam per tuſſim excitatam per acria medicamenta, ut oxymel ſcylleticum, acetum ſcylleticum, lac ammoniacum, &c.

" SI vero non poſſit multo tempore rumpi, ne-
" que ſponte, neque a medicamentis, contabeſcit
" aeger, a vehementibus doloribus, et inedia, et
" tuſſi, et febribus; et plerumque perit [a]."

UBI rupta, tum tres ſequentes indicationes proponendae:

[a] Hipp. *de morbis.*

1mo, Sanguinem munire contra infectionem purulentam.

2do, Ulcus quantocius evacuare pure, et labia abstergere, consolidare.

3tio, Ejusmodi in corpus ingerere, quae minima vi egeant, ut per pulmones fluere, ibique subigi queant, tamen nutrire apta, et puris refectioni inepta.

Ad primam indicationem quod attinet: Vidimus jam quas strages pus humoribus circulantibus admistum in oeconomia animali edat; ideoque inprimis omni molimine tentanda hostis hujus expulsio: aegri enim saepius moriuntur ex malis a pure absorpto oriundis, quam ab ulcere pulmonum in se spectato. Tametsi perdifficile sit sanguinem medicamentis ita conservare, ut non inficiatur: votis tamen optime respondetur ab iis, quae nomine antisepticorum insigniuntur; pulcherrimo cum successu exhiberi potest aqua picea, sal nitri, ammoniacus, balsama nativa, ut sunt opobalsamum, Peruvianum, Tolutanum, copaiba, terebynthina; balsamica gummi in forma pilularum, decoctiones agrimoniae, hyperici, hederae terrestris, sarsae; radicum iridis Florentinae, et multa similia: attamen si nimio stimulo valeant, vel febrim intendant, vel diarrhoeam excitent; hic administrari non debent te-

temeriter; sed prudentia medici. Huic scopo etiam satisfaciunt medicamenta leniter, et grate acida, omni forma, et magna copia usurpata, sed parca copia simul.

Secunda intentio, facilis est dictu, longe autem factu difficilior. Omne ulcus ad felicem curationem requirit partis affectae quietem: pulmo autem perpetuo moveri debet; hinc difficultatem ulcera pulmonis consolidandi, optime explicuit Galenus, "Neque enim citra tussim, expurgari possunt, "illisque tussientibus laceratur ulcus. Itaque qua"si per mutuas operas malum illis in orbem redit; "quae namque lacerata sunt, rursus phlegmonen "excitant; secundo iterum oportet maturari "phlegmonen, et pus expurgari, &c."

Huic intentioni maxime prospiciunt expectorantia, scil. lac ammoniacum, acetum scylleticum, &c. decocta balsamica ex herbis vulnerariis, capil. Veneris. flor. tussilag. agrimon. heder. terrest. aliisve: Horum decoctorum copia assumpta, quo major est, dummodo ventriculi vires sufficiant, eo melior: ubi autem major sputorum tenacitas facilem eorundem expectorationem impedit, atque inde metus est, ne a retentis sputis omnia mala augeantur, tunc imprimis prodest vaporum emollientium usus, ut sic di-

diluta et mobilia reddita sputa, facilius expelli pos
sint.

Quando hisce remediis a pure depuratur ulcu
tunc ejus consolidatio tentanda; et nihil novi quod hu
ic intentioni melius satisfiat, quam balsamum Lucate
li vitello ovi subactum, in forma electuarii usurp
tum. Dum autem diurno tempore, illis usurpati
consolidationi pulmonis ulcerati opera adhibita fui
optimum est, si aeger perpetuo tussiat, et somnu
compescere nequeat, vespertino tempore lenia
piata exhibere, viz. decocta ex capitibus papaver
albi, et materialibus pectoralibus, v. g. radice iri
Florent. flor. tussilag. heder. terrest. et caeteris hu
jus generis; horum enim beneficio aeger nocte
placide dormit, vires refocillat, tussis dilacerans i
hibetur, ulceris labia quiescunt, et ad coëundu
magis opportuna fiunt: nisi hoc fiat, aspera tussi
noctes diesque pulmonem quassat; idemqu
tunc obtinet, ac si ulceris externi superfici
omni momento perfricetur: unde sanatio plurimu
retardatur necessario, et inflammata redditur ulce
tota superficies. Summum pariter emolumentu
exhibent, ad detergendum pulmonem, ut et ad fi
mandum simul totius corporis robur, medicina g
mnastica, et aër rusticanus; hic omnibus medi
dogmaticis est, sine quo non; hinc suavissime ca
m

medicus noster, et poëta celeberrimus Armstrong, suis elegantissimis carminibus de sanitate conservanda.

UTINAM quidem possem carmina tam suavia Latinitate ea, qua olim gaudebant adeo Pierides, donare; sed non adeo benignus mihi irrisit Apollo: quoniam vero nihil in hac re aptius vel praestantius afferri potest, lingua nativa eadem exhibere haud pudet.

YE who amid this feverish world would wear
A body free of pain; ———————
Fly the rank city, shun its turbid air;
Breathe not the chaos of eternal smoke,
And volatile corruption from the dead,
The dying, sickning, and the living world.
——————— *It is not air,*
That from a thousand lungs reeks back to thine,
Sated with exhalations rank and fell,
The spoil of dunghills, and the putrid thaw
Of nature. ———————
It is not air, but floats a nauseous mass
Of all obscene, corrupt, offensive things.
Much moisture hurts; but here a sordid bath,
With oily rancour fraught, relaxes more
The solid frame than simple moisture can.
While yet you breathe, away: the rural wilds
Invite; the mountains call you, and the vales,

The

The woods, the streams, and each ambrosial breeze
That fans the ever undulating sky;
A kindly sky! whose fostering power regales
Man, beast, and all the vegetable reign.

Ad tertiam indicationem cibi analeptici, eupepti, blandi, acescentes atque grate acidi spectant, saepe et parca copia exhibiti, ut chylo blando demulceatur sanguis superstes; et quia languent admodum tum viscera chylopoiëtica, tum haematopoiëtica, neque sufficiunt ad alimenti crudioris assimulationem in bonum sanguinem: hinc Armstrong;

NOTHING so foreign but th' athletick hind
Can labour into blood. The hungry meal
Alone he fears, or aliments too thin,
By violent powers too easily subdu'd,
Too soon expell'd. His daily labour thaws
To friendly chyle, the most rebellious mass
That salt can harden, or the smoke of years;
Nor does his gorge the rancid bacon rue,
Nor that which Cestria sends, tenacious paste
Of solid milk. But ye of softer clay,
Infirm and delicate; and ye who waste,
With pale and bloated sloth, the tedious day!
Avoid the stubborn aliment, avoid
The full repast. ———
Half subtiliz'd to chyle, the liquid food

Rea-

Readiest obeys th' assimilating powers;
And soon the tender vegetable mass
Relents, &c.

TALES cibi sunt, panis fermentatus, biscoctus; praeparata ex pane; hordeum, olera blanda, emulsiones, lac. Pro potu interim ordinario assumat decocta herbarum balsamicarum acidularum, emulsiones tenuiores, serum lactis, lac defloratum, ebutyratum, et similia.

QUICQUID fere medicina interna ad phthisin ex ulcere pulmonum curandam, sola fere lactea diaeta assequitur. Si enim lactis originem atque naturam rite perpendamus, et simul morbum recognoscamus, patebit lac animalis-sani, vegetabilibus acescentibus pasti, omne fere punctum attingere. Iterum Armstrong:

——————— *Soft, delicious and benign:*
The balmy quintescence of every flower,
And every grateful herb that decks the spring;
The fostering dew of tender sprouting life;
The best refection of declining age;
The kind restorative of those who ly
Half dead and panting, from the doubtful strife
Of nature struggling in the gasp of death.

LAC

Lac enim recens ingesta redolet, chylum refert, et revera nihil aliud est, nisi chylus in primis officinis subactus, attenuatus, defoecatus, unica saltem transmissione per pulmones plus elaboratus, (haud tamen diutina circulatione eo usque evectus, ut indolem assumptorum plane deponat) iterumque a sanguine per glandulas mammarum secretus. Hinc lac facillime in bonum sanguinem subigitur, adeo ut qui lacte vescitur, per vicarium quasi alimenta sua concoquat. Ideoque lac optime corpus maraſmo exhaustum replet, languidum reficit, emaciatum nutrit. Porro ex hujus praeparatione et analysi spontanea, liquido constat, in lacte recente herbaceo, oleum blandum et sal acidum vegetabile simul utrumque mista, saponem constituere hinc, quatenus saponaceum est, detergit, quatenus acescit, refrigerat, sitim sedat, nauseam compescit putredinem arcet; neque aptum est, quod puri materiem subministret; oleo suo molli benignoque acria alcalina involvit, obtundit, et humores mitigat; sal demum hujus acidus eandem acrimoniam in sanguine corrigit.

Qualia sunt alimenta assumpta, talis erit chylus; et qualis chylus, tale lac. Sic si mulier, e. lactans, vegetabilibus blandis, detergentibus, balsamicis vescatur, hujus lac iisdem proprietatibus i

butum resurget, et erit quasi lac medicatum, natura Pharmacopoei vicem gerente. Et hoc modo cujuscumque animalis ad hoc negotium adhibiti lac, ad medici arbitrium varie impregnari potest, prout haec vel illa indicatio efflagitat.

In genere autem lac, quo tenuius est eo, caeteris paribus, tabidis magis arridet; quum quod magis meabile est, tum quod promptius in salubrem sanguinem assimilatur. Lac ideo muliebre ex ipsis uberibus haustum, prae reliquis apud scriptores laudatur; lac asininum secundam sibi palmam vendicat; haec caprini serum, bovinum, in ordine sequuntur.

Ex quocunque autem animali recens emulsum sumatur: tum quia partes subtiliores, maxime facil. reficientes, et nutrientes, nondum exhalaverint; tum quia hac ratione, prius forte venas lacteas ingredi potest, quam in spontaneam indolem abeat: verum ut ut hoc sit, satius videtur semper pauxillum sacchari, mellis, aut saponis Veneti, si nihil repugnet, adjicere; vel si acidum ventriculum lacessit, absorbentia terrestria, testacea, una admiscere, ut forte hoc modo impediatur, quo minus ex glutina in ventriculi debili remora, vel ex cibi proxime assumpti reliquiis acidis, coaguletur.

INTERIM dum in diaeta rite administranda sa tagimus, corporis exercitia etiam in hac indicatio ne minime spernenda sunt: his enim pro ratione virium aegroti institutis, excitatur appetitus, con coctio et assimilatio alimentorum summopere juvan tur; densatur sanguis tenuis, et corpus flaccidum roboratur.

BEGIN with gentle toils; and, as your nerve
Grow firm, to hardier, by just steps, aspire.
The prudent, even in every moderate walk,
At first but saunter, and, by slow degrees,
Increase their pace.
When all at once from indolence to toil
You spring, the fibres, by the hasty shock,
Are tir'd and crack'd, before their unctuous coats
Compress'd, can pour the lubricating balm.
Besides, collected in the passive veins,
The purple mass a sudden torrent rolls
O'erpowers the heart, and deluges the lungs
With dangerous inundation: Oft the source
Of fatal woes: a Cough that foams with blood,
Asthma, and feller Peripneumonia,
Or the slow minings of the hectic fire.

EXERCISE

S

Si omnia haec non valeant sanguinem contra infectionem purulentam et colliquationem munire, nihil fere restat, nisi ut quantum fieri potest occurratur hisce gravissimis malis, quae miseros aegros affligere solent aliquot dies ante mortem, qualia sunt, tussis, diarrhoea, tormina alvi, sudores, &c. quae mitigari saltem possunt, putrefactioni resistendo, usu grate acidorum; viribus prospiciendo, ne prae debilitate sputa supprimantur, et liquida undique diffluant; tum acre mitigando usu diacodiatorum.

FINIS.

BRITISH MUSEUM